



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Recollectio Spiritvalis**

**Masen, Jacob**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

De Examine Particulari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60213)

*luscircuit quarens quem devoret.* Quare *ju-*  
*stus* etiam si *septies* aliquando in die cadat ;  
 simul tamen eadem die per poenitentiam , su-  
 per expensa scelera institutam, *resurget.* Qui-  
 cunque igitur , & debellare vitia , & virtutes  
 in se tueri decrevit , nisi his armis usus fue-  
 rit, nihi obtinebit. Et sanè pudor sit , tan-  
 tum pro salute sua præstare quempiam nol-  
 le , quantum mercator lucri gratia indies  
 præstat , qui nisi expensarum acceptorum-  
 que rationem ineat , frequentique examine  
 res suas ponderet , extra jacturæ periculum  
 non subsistet. Nec sanè Confessionem suorum  
 delictorum, ut par est, facile instituet, in cre-  
 bris peccandi occasionibus constitutus, qui ra-  
 tiones quotidianas conscientiae explorandæ  
 neglexerit ; cum necessarium sit, multorum  
 apud illum memoriam delictorum evanesce-  
 re, quorum difficile coram Deo iudice igno-  
 rantiam sit excusaturus. Utriusque ergo cu-  
 ram examinis multis necessitas ; aliis etiam uti-  
 litas persuadebit.

Prov. 24.  
v. 26.

Et ad Con-  
 fessionem  
 melius in-  
 stituendâ.

## DE EXAMINE PARTICULARI.

**C**ASSIANUS jam olim in suis Asceticis  
*Coll 5.c.14.* hoc examen laudavit, & Pro-  
 pheta Daniel usurpavit, qui *tribus diei tempo-*  
*ribus* flebat genua sua , & adorabat , con-  
 fitebaturque coram Deo suo. Nihil enim hoc  
 examen aliud est , quàm confessio quædam  
 delicti

Dan 6. 10.

Examen

*particula.  
riter de die  
instituen-  
dum.*

*Pl. 54. v.  
18.*

*Collatio tē-  
poris ad  
profectum  
facit.*

*Et virtutū  
studio ser-  
vis.*

delicti coram Deo, cum peccatorum dolore,  
& proposito emendationis quotidie facta.  
Quod idem Davidi familiare fuisse videtur,  
qui Deo promittit: *Vespere, & mane, & meri-  
die narrabo, & exaudies vocem meam.* Ad  
quorum imitationem D. IGNATIUS ter de  
die, hoc est mane, meridie, & vesperi hoc Ex-  
amen institui cupiebat; eâ lege, ut per heb-  
domadem geminis indies lineis notaretur  
per inscripta signa. Lapsus ante meridiem  
in una, post meridiem in linea altera,  
& observaretur, dierum & hebdoma-  
darum inter se facta collatione: num-  
errata quotidie sensim deficerent: lineis ic-  
circo etiam in triangulum ex basi latiore  
deficientibus. Quod Examen si quis in vir-  
tutum quoque singulari studio vellet insti-  
tuere, fas esset, ut lineæ, contra quam, in vi-  
tiis extirpandis, à minoribus ad grandio-  
res, pro notis pluribus excreverent.  
Quod docebunt sequentes  
tabulæ.



*Tabu-*